VITA THEOLOGICA,

EX
Vivifico AVGVSTINI Corde
ACCEPTA,
Et in victimam gratitudinis eidem CORDI Divinissimo
ADVOLVTA;
SEV

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ,

ECCLESIÆ, & Doctorum DOCTORI,
DIVINISSIMO

AUGVSTINO,

Præsuli Hipponensi, suo LEGISLATORI suavissimo,

à

Studio Theologico Cracoviensi Ordinis Canonicorum Regularium Sanctissimi Hierosolymitani Sepulchri;

In recurrente ejusdem Sancti AVGVSTINI Commemorationis die,

DEDICATÆ.

Annô, quô Verbum Æternum ex Corde Virgineo vitam accepit 1721. *Die* 30 apr.

CRACOVIÆ,
Typis IOANNIS DOMANSKI, S. R. M. Typogr.

TAm multa, piè, & copiosè scripsit; ut Christianam doctrinam maximè illustrârit. Quem inprimis secuti sunt, qui postea Theologicam disciplinam, viâ, & ratione tradiderunt. *Ita de Sancto AUGUSTINO Breviarium Romanum, sub die 28. Aug.*

PRÆFATIO
DEDICATORIA.

QVam ex Diviniſſimo Corde Tuo hauſimus vitam, eandem Tibi ſubmiſsè offerimus, profundè conſecramus, & in victimam immolamus, Doctor Doctorum Maxime, Diviniſſime AVGVSTINE. Sicut enim ſupremus rerum omnium Moderator DEVS maximè tunc colitur à creatura, quando hæc, tale ipſi in holocauſtum dedicat munus, quale, & quod ab eodem liberaliter collatum habet; ita, & nos maximum Tibi cultum reddituros cenſemus quando id Tibi in victimam præſentamus, quod ex Diviniſſimo Corde Tuo, ampliſſimo omnis ſcientiæ & eruditionis Oceano, delibavimus. Et quia ex Diviniſſimo Corde Tuo vitã hauſimus Theologicã, nempe, conformem Tuæ doctrinæ Theologiam, ideo hanc ipſam in monumentum gratitudinis advolvimus. Principi Aſtrorum Soli continui debentur dies, Mari flumina, fontibus torrentes, Tibi vita Theologica in nos derivata; hoc eſt Theologia Univerſa. Tuo ſpiritu poſt DEUM univerſi vivunt Doctores, Tuo ſpiritu etiam maximi aguntur Theologi: (a) Nam ſicut Stellæ lumen à Sole recipiunt, ſic omnes Doctores ſcientiam ab AVGVSTINO, conſequenter & vitam, vita enim Doctorum, vita eruditorum, Scientia eſt. Reponunt quidem alij vitam partim in divitiis, partim in honoribus, & favoribus Principum, partim in voluptatibus, partim in commodis edendi, bibendi, exquiſitè, ac ſplendide ſe veſtiendi, & generaliter in ſufficientia rerum temporalium, contenti hoc Solo, quod habeant unde edant, bibant, & quô veſtiantur, de incremento autẽ vitæ eruditæ acquirẽdæ vel promovendæ, etiã propter bonum publicum non curant. Sed hæc norma procedendi, vita Epicureorum eſt, à Corde autem, imò & à Nomine AUGUSTINI tantum diſtant hæc omnia, quantum diſtat punctum, à toto Orbe. Cor itaq; AUGUSTINI ſolam ſpirat vitam Theologicam repoſitam in Sermone de DEO, rebusq; Divinis, & tam amplè diffundit vitalitatem ſuam, ut ubi hanc deeſſe

(a) Remigius Antiſiodorenſis.

 contin-

contingeret, ibi omnis humana intelligentia muta & nihil plane intelligens fieret. (b) Quicunq; de CHRISTO, de Fide, de Religione, aliquid saperent omnibus in ore erat AVGVSTINVS, ut nihil pænè ex sacris literis possit, nisi eo Duce intelligi, nisi eo interprete explicari. *Et cum principale totius Theologiæ fundamentum sit ex sacris literis, proindè sicut hæ, ita & illa, non potest nisi Te Duce intelligi; nisi Te interprete explicari. Quare sicut in sacris literis juxta Oraculum Martini V. Pontificis Maximi Ducem Te exhibuisti toti Ecclesiæ, ita & in Theologia Universa, universalem Te nobis exhibe Antesignanum, & Doctorem, nos doctrinam Tuam eô sequemur animô, quo* Regulam *sequimur. Et quomodo Tuam doctrinam sequi non debemus? quam supremæ totius Ecclesiæ orbisq; Capita, & Generalia Concilia secuta sunt, & coram Orbe toto fatentur, quod Tuam doctrinam sequantur:* (c) *Sic Concilium Oecumenicum Constantinopolitanum expressè fatetur:* Sequimur per omnia Sanctũ Augustinũ, & suscipimus omnia quæ de recta fide, & cõdemnatione Hæreticorũ exposuit (d) *Et Conciliũ Generale Florentinũ ante alios Sanctos Patres, Tuam primo sacram Authoritatem afferri in medium jussit:* Nunc Sanctorum Patrum Authoritates in medium afferamus, ac imprimis Sancti Augustini Illustrissimi Latinorum Doctoris &c. *Eidem vestigio nos inhærentes, licet aliorum Sanctorum Patrum & Doctorum authoritatibus, conemur firmare Theologiam nostram, tamen specialiter & primariò eandem stabilire nitimur, intemerata semper authoritate Tua. Itaq;* Doctor Divinissime (e) Magnæ authoritatis & Sanctitatis Præsul (f) Inter intemeratæ Ecclesiæ Doctores præcipue, & subtilissime Evangeliorũ & Sacrarum Literarum perscrutator, *digneris pietate Tua nostrum suscipere conatum; quem ut exequamur, supplicamus, ut nobis Supremum Numen propitium concilies, & contra adversa omnia præsens exhibeas subsidium.*

(b) Martinus V. Pontifex Maximus.

(c) Conc. Constant: OEcumenicũ celebr; A. Domini 553.

(d) Conc: Flor: Gen: S. T. qua Ferrar: habita est Anno 653.

(e) Joannes X. Pont: Max.

(f) Sixtus IV. Pont. Max.

Ita precatur

Devinctissimum CORDI, & honori Tuo,

Cracoviense Studium Theologicum Ordinis Canonic: Regular: SSmi Hierosolimitani Sepulchri.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ

JUXTA ORTHODOXAM

Beatissimi Ecclesiæ Magistri AVGVSTINI Doctrinam.

EX TRACTATV

De DEO ut UNO.

I.

EXistentia DEI non est demonstrabilis á priori, est tamen demonstrabilis à posteriori. Ita Doctor Doctorum AUGUSTINUS lib. 10. Confessionum Cap. 6. *Interrogavi Mundi molem de DEO meo, & respondit mihi non ego sum, sed ipse me fecit.* Et inferiùs: *Homines autem possunt interrogare ut invisibilia DEI, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciant.*

II.

ATtributa Divina sunt idẽ inter se realiter adæquatè, nec distingvuntur ullatenus nemine cogitante. Ita docet Idem S. D. Lib: 7. de Trinit: Cap: 6. *Hoc illi est esse, quod DEUM esse, quod magnum, quod bonum esse.* Idem docet & aliis multis locis.

III.

DAtur in DEO Scientia Simplicis Intelligentiæ & Visionis. Ita S. D. Lib: 15. de Trinit. Cap: 8. *Non enim ejus Sapientia aliquid accessit, nec aliter scit creata, quam creanda.*

IV.

PRæscientia DEI de actibus nostris liberis absolutè futuris, non est causa unicè necessaria eorundem actuum; connexa essentialiter cum illis, consequenter non ideò homo liberè agit, quia eum DEUS præscivit acturum. Ut expressè docet Idem S. D. Lib: 5. de Civit: DEI Cap: 10. *Neq; enim ideo peccat homo, quia eum DEUS peccaturum prævidit.*

V.

QVod præter Scientiam Simplicis Intelligentiæ, & Visionis; detur etiam in DEO Scientia Media, colligi potest ex eodem. S. D. in Epist: ad Rom: Pronuntiato 55. *Non omnes qui vocati sunt secundùm propositum vocati sunt, hoc enim propositum ad suam prædestinationẽ, & Scientiam DEI pertinet nec prædestinavit aliquem, nisi quẽ præscivit crediturum, & secuturum vocationẽ suã quos & electos dicit.* & Lib. 2. de Dono perseverantiæ Cap: 9. & 10. inquit: *Nunquid possumus dicere Tyrios & Sydoniis*

Sydonios, si tales apud illos virtutes fierent, non fuisse credituros cum ipse Dominus attestetur, quod acturi essent pænitentiam. Tandem Libro de Spiritu & litera Cap: 3. *Solum suasionibus agit DEVS, sive extrinsecis, sive intrinsecis, sed consentire, vel dissentire propria voluntatis est.*

VI.

PRædestinatio ad gloriam ut hæreditatem est ante prævisionem meritorum. Tamen prædestinatio ad gloriam ut coronam est post prævisionem meritorum ut colligitur ex supra citatis S. D. verbis: *Nec prædestinavit aliquem nisi quem præscivit crediturum, & secuturum vocationem suam.* Item Serm: 7. de Verbis Domini super Matthæum, *Elegit autem (sicut dicit Apostolus) & secundùm suam gratiam, & secundùm illorum justitiam.*

EX TRACTATV
De DEO ut TRINO in PERSONIS.

I.

ENs positum supra lumen naturæ est illud, de cujus possibilitate non potest constare ex lumine naturali, constat tamẽ de illo, vel constare potest ex fide, vel alio lumine supernaturali, & tale ens est TRINITAS Divina. Ita Idem S. D. Lib: de Spiritu & Anima Cap: 12. *Quædam sunt infra rationem, quædam juxta rationem, quædam supra rationem; infra rationem sunt, quæ sensu percipimus, ut dura mollia, calida, frigida; juxta rationem sunt quæ ratione percipimus, sicut commoda, incommoda, vera & falsa: justa, & injusta; supra rationem sunt quæ nec sensus docet, nec ratio persuadet, sed à Divinâ revelatione comprehenduntur. Sicut DEVM esse Trinum in Vna substantia, & in tribus Personis unum.*

II.

SIcut attributa Divina inter se, ita eadem attributa & natura Divina non distingvitur ullatenùs nemine cogitande à Personalitatibus, vel realiter in tertio. Ita S. Doctor Lib: 7. de Trinit: Cap: 6. *Non aliud DEO esse, aliud Personam esse, sed omnino idem.*

III.

VNdè sine recursu ad ullam distinctionem nemine cogitante talem, aut realem in tertio sufficienter salvari potest contra infideles Mysterium TRINITATIS à contradictione, per hoc ipsum, quod idem mysterium sit supra lumen naturæ, sine recursu autem ad hoc, quod idem Mysterium sit supra lumen naturæ positum, non potest sufficienter salvari à contradictione. Et ita docet S. D. Lib: 7. de Trinit: Cap: 6. *In his rebus non tantum est unus homo, quantùm tres homines simul, at in DEO non ita est, non enim major Essentiâ est PATER, FILIVS, & SPIRITVS Sanctus simul, quam solus PATER, aut solus FILIVS, quod animalis homo non percipit, &c. quod si intellectu capi non potest, fide teneatur, donec illucescat in cordibus ille, qui ait per Prophetam: Nisi credideritis, non intelligetis.*

EX TRACTATV
De JURE & JUSTITIA.

I.

JUs Proprietatis definitivè, est potestas legitima disponendi de re inimpedibilis ab aliis licitè vel validè ordinata in proprium commodum habentis talem potestatem. A, S. Aug. definitur per ordinem ad id, quod est justum. *Nec jus dicendum est, si injustũ est, illud ergo verum jus quod etiam justum est.* In Psal: 145

II.

II.

CHRISTUS Dominus & Beatissima Virgo MARIA Immaculatè Concepta, habuit jus proprietatis in omnia Mundi Regna, & in res singulas Universi. Colligitur ex multis locis S. D. ubi CHRISTUM vocat *Dominum universi*, & Beatissimam *Reginam Mundi*.

III.

JUdex non potest condemnare convictum per allegata & probata; quem scit privatâ notitiâ innocentem Ita S. D. scribens contra Macedonium: *Judicis autem est judicare justo ordine.*

IV.

JUstitia definitivè est constans, & perpetua voluntas jus suum cuiq; tribuendi. Juxta S. D. Lib: 19. de Civitat: DEI Cap. 21. *Justitia porro ea virtus est, quæ sua cuiq; tribuit.*

V.

DEUS non potest obligari justitialiter Creaturæ rationali, adeoque non datur in DEO Justitia talis quæ DEUM obliget justitialiter Creaturæ, Ita S. D. Epist: 105. ad Sixtum: *Quoniam cujus vult miseretur, non justitiæ, sed misericordiæ gratiâ.* & Lib: 1. Confess: alloquitur DEUM. *Reddis debita, nulli debens.*

EX TRACTATU

De INCARNATIONE.

I.

MYsterium Incarnationis prout includit aliquam Mysteriositatem communem TRINITATI Divinæ, non est cognoscibile lumine naturæ adeoq; est supra lumen naturæ. Colligitur ex S. D. Epist: 3. ad Volusianum, *Si ratio quæritur non erit mirabile, Si exemplum desideretur non erit singulare, demus ergo aliquid DEUM posse, quod nos fateamur investigari non posse.* Et hæc verba citantur à Conc: Tolet: 10. Cap: 1.

II.

MYsterium Incarnationis prædicto modo sumptum potest optimè salvari à contradictione, sine recursu ad ullam distinctionem nemine cogitante talem, vel realem in tertio, per hoc ipsum quod sit ens positum supra lumen naturæ. Est conformis doctrinæ S. D. citatæ sub Conclusione 3tia de DEO ut Trino.

III.

POtuit à Verbo Divino assumi quæcunq; natura creata etiam irrationalis. Ita S. Doctor lib: de vera Religione Cap: 16. *Nam id poterat & in aliquo æthereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato, sed etiam hominibus in vero homine apparuit, ipsa enim natura suscipienda erat quæ liberanda.*

IV.

DEUS non necessitatur etiam moraliter ad optimum, adeoq; nec ad Incarnationem fuit moraliter necessitatus. Ita S. D. lib: 3. de libero arbitrio: *Multa DEUS decernit & congruentissimè facit, quæ vel si omitteret, vel non faceret, decentissimè & congruentissimè faceret.*

V.

SAtisfactio CHRISTI pro peccatis nostris est superabundans. Ita S. D. lib: Medit: Cap: 8. *Magna est mea injustitia, satis verò major Redemptoris justitia.*

VI.

SAtisfactio CHRISTI quo ad intrinsecum valorem suum est infinita simpliciter. Ita S. D. In Enchiridio Cap: 10. *Neq; per ipsum liberaremur, unum Mediatorem DEI & Hominum, Hominem CHRISTUM IESUM, nisi esset & DEUS.*

VII.

NUlla pura Creatura potest condignè satisfacere pro offensa mortali Theologica. Colligitur ex eodem S. D. Cap: 8. Medit: *Potui per me Sancte Pater offendere, sed non valui per me placare Te.*

VIII.

MOtivum, finis, & causa Incarnationis non est solum remedium peccati. Colligitur id ex S. D. Serm: de Nativit: Domini. *Homo sequendus non erat, qui videri poterat, DEUS sequendus erat, qui videri non poterat, ut ergo exhiberetur homini, & quo videretur ab homine, & quem homo sequeretur, DEUS factus est Homo.*

IX.

HUmanitas CHRISTI Domini est substantialiter Sancta per Sanctitatem increatam Verbi. Colligitur ex S. D. super Psalm. 44.

X.

CHRISTUS Dominus non meruit, nec mereri potuit sui ipsius Incarnationem quo ad conceptum essentialem, seu substantiam Incarnationis. Ita S. D. lib: de Prædest: Sanct: Cap. 15. *Ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem Personæ assumptus Filius DEI Unigenitus esset, unde hoc meruit? quid egit ante? quid credidit? quid petivit?*

Disputabuntur publicè in Conventu Cracoviensi ád Sanctam HEDVIGIM, Ordinis Canonicorum Regularium SSmi Hierosolymitani Sepulchri, *Defendēte R. P. CAIETANO SKOWRONSKI, AA. LL. & Ph. D.* *eiusdem Instituti Canonico Regulari, S. Th: Auditore.*

Præsidente Admodùm Reverendo Patre M. IACOBO RADLINSKI, *Sacræ Theologiæ Doctore & Professore, C. G. M. Consiliario, Anno Domini* 1721.

Die 30 *Mense* Aprili.